

sa mala, quæ propter impœnitentiam regis ac populi jamdudum per Prophetam denunciata. Comminationes enim DEI non vana sunt de pelvi fulgura.

*Executio* mandati istius in eo consistit, quod *Jeremias* alium confectum librum, confectum tradidit *Barucho* amanuensi, qui in eum consignavit non solum conciones, quæ descriptæ fuerant in libro à *Ioachimo* combusto, sed insuper & alias, unde Liber isthic alter multò auctior redditus, quàm ille. Premi enim potest quidem veritas ejus, quæ columna Ecclesiæ, sed opprimi non potest. Redit L. O. de *Verbo DEI scripto*, quem ex professo tractavimus suprâ c. 30.

ψ. 32.

Ἀξιωματικόν ὄντα.

1. τὰ λεξικά.

1. Liber voluminis. 2. *Baruchus* amanuensis *Jeremiae*. 3. *Jerunia* *Judæorum*. 4. Camini, quorum tempore hyberno, usus apud populos Orientales, qui hodiè fornacium in his regionibus.

2. τὰ γνωμικά.

Observentur maximè vs. 23. & 30.

3. τὰ δημηγορικά.

Sufficere possunt explanationi istius capituli *duæ conciones*, quarum 1. fuerit de Libri *scriptione* & *lectione*. 2. de ejusdem *scissione* & *combustione*.

## CAPUT XXXVII.

*Nexus.*

**H**istoriæ, quæ in capitibus proximè præcedentibus 35. & 36. recitatæ acciderunt tempore *Ioachimi*; jam ab ista digressionem redit *Propheta* ad Regem *Zedekiam* & tempus *obsidionis Hierosolymitanæ*.

*Argumentum Capituli.*

Totum istud caput est *ιστορικόν*, complectens *Narrationem* de *Urbis obsidione* & *Prophetæ persecutione*.

*Partitio Capituli.*

*Duæ* itaq; sunt capituli partes. In (1) *Narratio de urbis obsidione* usq;ve ad vs. 10. In (2) *Narratio de Prophetæ persecutione* continetur inde usq;ve ad finem capituli.

*Usus.*